DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
EPILEPSIA.

QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
MELCHIORIS LEYDECKERI,
S. S. Th. Doct. & Profeſſoris Ordinarii;
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime conſequendis,
Eruditorum Examini Submittit

GOSUINUS VAN BUYTENDYK.

Ad diem APRILIS, *loco horisque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi, cIɔ Iɔ ccxv.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
EPILEPSIA.

THESIS I.

Cum animus ſit mea de Epilepſia cogitata breviter ac ſuccincte in medium proferre, idque juxta vulgarem de morbis ſcribendi methodum; neceſſe eſt, ut in limine, ante realem hujus thematis explanationem, à nomine exordiar. Nomen ab urgente ſymptomate, ſive potius ſingulari ac ſummè periculoſo invadendi modo, olim ægritudini huic à medicinæ principibus impoſitum, origine Græcum eſt: ortum enim trahit à verbo ἐπιλαμβάνομαι, quod Latinè non tantum ſignificat ſimpliciter *apprehendo*, *comprehendo*; ſed etiam ſenſu compoſito *imparatum aggredior*, *incautum opprimo*, quo ſenſu venit apud Ariſtotel. Polit. 5. Ita ut vocabulum Epilepſiæ vi ipſius vocis indicet affectum, qui hominem quandoque, imprimis ſi idiopathicè eum affligat, tale quicquam nec cogitantem, nec ſibi metuentem repente ac inſtar fulminis aduritur.

II. Hic affectus apud Græcos & Latinos, propter diverſa atque admiranda ejus ſymptomata, variis inſuper inſignitur nominibus,

quo-

quorum duo, quæ apud medicinæ ſcriptores in frequentiori ſunt uſu, tantummodo attingam. Primum ſynonymum eſt *morbus comitialis*. Verum hujus nominationis non eadem ab interpretibus ratio datur. Dum alii volunt hunc affectum ita eſſe vocatum, quod olim concidente Epileptico comitia interrumperentur. Alii vero, quod in comitiis eo morbo correpti maxime infeſtarentur & detegerentur, ut adnotavit Caſtellio ex variis antiquitatum ſcriptoribus. Alterum eſt *morbus ſacer*; cujus appellationis etiam variæ occurrunt rationes: ex quibus hæc mihi maximè probabilis videtur; ſc. *ſacer* eſt nuncupatus ob magnitudinem & vehementiam ſymptomatum, quibus præ aliis hic morbus eſt ſtipatus, ita ut *morbus ſacer*, idem ſignificet, ac *morbus magnus*. Quia veteres Græci, qui hunc affectum ἱερὸν nominarunt, omnia vocarunt ἱερὰ, quæ magna & horrenda erant. Eadem ratio eſt Latinorum, qui vocabulo *ſacri* rem magnam indicarunt, ut conſtat ex iſto tritiſſimo Poëtæ, *auri ſacra fames*; quod graviſſimi Latinæ linguæ auctores interpretantur, *magna fames*.

III. Traditâ vocabuli ſignificatione, ad rem ipſam conſiderandam me conferam, neceſſe eſt. Indicanda igitur primò eſt morbi definitio: verum antequam ipſam aggrediar, prius notari velim, quod hic affectus & forſan plerique omnes propter ſymptomatum multitudinem, eorumque modo abſentiam, modo præſentiam, haud commodè juxta ſtrictas Logicæ regulas definiri poſſint. Deſcribo igitur Epilepſiam, quod ſit involuntarius & convulſivus motus totius, vel plerarumque, vel quarundam partium corporis, cum functionum primariarum, ac ſenſuum tum internorum, tum externorum, neque ſemper omnium, ſed quorundam ad tempus læſio, à materia acri volatili ortum ducens. Hanc affectus deliniationem, licet ea rudioris ſit penicilli, puto tamen morbi hujus naturam ſatis accurate indicare.

IV. Equidem ordo ſcriptionis exigeret, ut partem affectam nunc traderem: verum enim vero cum in ea ſim ſententia, quod naturæ morborum inveſtigationes, imo totius phyſices, cui medicina ſuperſtructa eſt, contemplationes, non à priori, ſed à poſteriori procedant, ita ut modo analytico ex effectibus cauſæ, non vero modo ſynthetico ex cauſis effectus demonſtranda ſint, conſultius duxi, hic primum affectus phænomena, in ſenſus medici & adſtantium venientia, ſummatim recenſere. Quibus præmiſſis facilior dabitur

in

in morbi focum, genium, differentias, atque cauſas inquirendi occaſio.

V. Ut autem de affectus hujus ſignis, abs quorum cognitione totum curationis fundamentum unice dependet, clare & diſtincte ſcribam, dicta ſigna cum medicis ad tria genera refero, ſc. ad ſigna diſtinctiva, diagnoſtica & prognoſtica. De ſignis diſtinctivis, quia cum morbi differentiis conveniunt, ſeparatim hic non agam; ſed iſtic loci, ubi de differentiis ſermo erit, ea commemorabo. Sic quoqne prognoſtica ſigna infra ſuo loco adducam. Reſtant itaque ſigna diagnoſtica, quæ hoc in loco recenſenda ſunt. Et ut hoc iterum ordine fiat, animadvertendum eſt, quod hujus generis ſigna ſint triplicia; prima, quæ morbum futurum annunciant; altera, quæ morbum præſentem indicant; & tertia, quæ morbum ceſſantem ſequuntur.

VI. Signa futuri & jam jam inſtantis morbi, quæ & aliis affectibus magis minus quandoque accidunt, ſunt hæc; ut partium quarundam motus nervorum tremulus, dolor ingens ac pungens capitis: hujus ſenſus etiam in occipitio. In alia corporis conſtitutione dolor capitis gravans cum vertigine. Oculi in unum objectum ſunt defixi, rigentibus eorum muſculis. Præterea tenebricoſa adeſt vertigo: pupillam in quodam maxime dilatatam vidit Meibomius. Aliquando quædam præ oculis quaſi ſplendentia ſunt, macularum marmoris ſimilia: (Græci hæc vocant marmarygmata, ſive marmarygas) vel ſimilia aranearum telis, vel nubibus tenuiſſimis, aut parvulis volitantium animalculis, adinſtar pulicum. Nonnunquam veluti ſcintillæ, aut circuli ignei oculis obverſantur. Oculi ſæpe torvi ſunt & ignei. Aliquando vero aquæ quaſi innatant: & palpebræ inferiores valde tumidæ ſunt: hæc enim variant, prout æger vel plethoricus eſt, vel cacochymicus. Adeſt tinnitus aurium; ut & auditus difficilis. Facies admodum tumida: pallor ejus, appropinquante paroxyſmo, plerumque vergit in ruborem: & hæc ſi Epilepſia ex ſanguine eſt, ſemper rubet. Lingua ob rigorem ad lubitum ægri non niſi difficile flecti poteſt: tremunt ejus muſculi: venæ, raninæ dictæ, flaveſcunt. Præſertim in illis, qui Lunatici dicuntur, & Epilepſias periodicas patiuntur. Præcordia inflantur. Æger oſcitatur, pandiculatur & crebro ſternutat. Frigent extrema: nimirum, ſi cacochymia Epilepſiæ cauſa eſt; ſi enim ea ex ſangnine orta eſt, ex adverſo ardor ſentitur ex nervorum punctio-

ne & vellicatione. Laſſitudo ſpontanea oboritur. Saliva ſolito copioſior ex ore effluit: verum in alio fauces interdum aridæ deprehenduntur. Appetitus aut proſtratus eſt, aut immodicus. aliquando καρδιωγμὸς, vel cardialgia. Excrementorum difficilis egeſtio, & quandoque nulla. Fonticuli, vel ſetacea in iſtiusmodi ægris inſtituta tunc temporis ſaniem non fundunt. Sæpe ſine manifeſta cauſa erectio priapi, & veneris delectatio adeſt, ut & nocturnæ pollutiones. Somnus valetudinariis nullum commodum adfert; & inſomnia admodum ſunt turbulenta. Aliquando coma vigil, interdum ſomnolentum, urget. Mens ipſa anxia & perturbata: ſæpe ægris ſupervenit triſtitia inſolita. Qui hoc morbo laborant, eorum plurimi ſunt melancholici, meticuloſi; nonnulli quærunt ſolitudines; alii ſine ratione illachrymantur; alii Deum invocant. Quandoque vero citra ſonticam rationem facile iraſcuntur. Halitum ſive auram ſubinde percipiunt ex partibus inferioribus adſcendere & ad caput uſque pertingere. Quod phænomen cum adeſt, illud tanquam mox ſecuturi paroxyſmi Epileptici ſignum habetur. Sed hic bene animadverti debet, quod recenſita ſigna, nec ſemper, nec numero, nec modo, neque in omnibus ægris eadem reperiantur: in ſingulis enim individuis aliter atque aliter ſe habent. Imo in quibusdam ægris nulla ſigna monitoria motibus Epilepticis præire extra dubium eſt.

VII. Præſentis morbi ſigna quoque variant ratione diverſitatis cauſarum, conſtitutionis cerebri, nervorum corporiſque partis affectæ, & ratione ſpirituum inordinati ac violenti in has vel illas partes influxus. Hæc vulgo dividuntur in ea, quæ Epilepſiæ propria, & quæ aliis affectibus communia ſunt. Verum tamen hæc puto poſſe diſtinctius proponi, ſi ad tres claſſes redigantur, ſc. quatenus alia animalium, alia vitalium, alia naturalium functionum læſionem reſpiciunt. Igitur, ut ad rem deveniam, ſigna facultatum animalium læſarum hæc ſunt; ſenſus externi ita obliterantur, præſertim in gravi Epilepſia, ut quaſi in totum aboliti videantur; quod colligimus ex eo, quod ſi æger præſente paroxyſmo in ignem inciderit & vehementer ſe uſſerit, nullum inde dolorem percipiat. Eadem eſt ſenſuum internorum conditio. Nam obſervatum eſt plures gravi Epilepſia correptos nullius rei à ſe peractæ, aut perpeſſæ memores fuiſſe. Tradunt enim auctores, gravidas, quæ in ipſa acceſſione abortum paſſæ fuerant, imo fœtum vivum pepererant, pro-

priis

priis maritis, ſanguineis, & obſtetricibus, quid ipſis contigiſſet narrantibus, fidem denegaſſe; quamvis & ipſum fœtum jam jam enixum puerperis iſtis oſtenderent atque offerrent, vide Tulp. lib. 1. cap. 10. Cæterum quantum ad Epileptici corpus attinet ejus motus, imprimis voluntarii, plurifariam afficiuntur; non ita tamen ut antea, cum aboliti viderentur, verum jam aucti, imo perverſi offenduntur. Corpus enim univerſum in multifarios gyros, variasque convolutiones circumagitur: idque ſæpe fit tanta vehementiâ, ut ægri vix à tribus quatuorve fortibus viris cohiberi poſſint. Speciatim hoc malo affecti, alii citius, alii tardius in terram prolabuntur: alii prius quam cadunt, in gyrum aguntur; alii vero ſubito inſtar bovis icti in terram procumbunt. Nonnulli corpus erectum ſervant, caput tantummodo huc illuc jactantes. Quidam in ſedili ſuo per totum paroxyſmum manent. Imo aliqui in ipſa acceſſione ambulant & brachia varie movent, ita ut quaſi ſaltare videantur. Vultus plerumque mirum in modum, ita ut ſæpe terrificum præ ſe ferat aſpectum, convellitur: aliquando vero ad riſum compoſitus eſt. Imo nonnunquam quidam ægri revera rident: ut & è contrario alii illachrymantur. In quibuſdam, ut in ſuffocatis, vultus liveſcit; quod ſæpe infantibus & pueris accidit. Oculi imprimis variè & intenſè, unde aliquando ſtrabiſmus, diſtorquentur, in gravi ſc. acceſſione; ſiquidem ſi hæc levis eſt, viſus non multum à ſtatu naturali deflectit. Palpebræ valde extenduntur, ac ita diſtentæ aliquamdiu detinentur. Os multifariam torquetur, obrigeſcit, adeo ut in aliis ſpaſmum cynicum, in aliis vero riſum ſardonium efficiat. Quid? quod eadem ſymptomata in eodem ægro alternant. Haud raro etiam adeſt dentium ſtridor. Sæpe tam firmiter os clauditur, ut vix aperiri poſſit, & hinc ſuffocationis fere periculum ſit. Lingua aliquando mirum & terribilem in modum ex ore protruditur; ita ut nonnunquam agentibus inſuper muſculis, maſticationi dicatis, à dentibus miſere lædatur, imo interdum præmordeatur. Ex Epilepticis aliqui clamitant, vociferantur, inconditaſque edunt voces; alii inſtar bovum mugiunt; nonnulli canum inſtar blaterant; geſticulantur, brachia ſurſum attollunt, pectorive admovent, aliaſque nugas agunt. Quandoque digiti firmiter pollicem complectuntur; quandoque non: adeſt non raro priapiſmus. Dictis, quæ à motu aucto, vel inordinato proveniunt, ſequuntur ſymptomata, quæ motui imminuto

nuto adſcribenda ſunt, ut os quorundam hiat. Aliqua de membris flaccida ſunt. Alvi excrementa involuntarie excluduntur: item urina & ſemen genitale. Quæ poſteriori loco dixi, non tantum animales, ſed & naturales actiones eſſe læſas arguunt.

VIII. Enarratis ſignis ex animalium & quarundam naturalium functionum læſione deſumptis, ſubjungam ſigna functionis vitalis læſæ. Ex his primo memoranda eſt reſpiratio, quæ ſubinde difficilis, nonnunquam intermiſſa videtur; interdum ea, præcordiis verſus ſuperiora tendentibus, cum vehementia quadam acceleratur: qua de cauſa tum ſpuma, comprimis in paroxyſmi fine, per os atque nares excernitur: illa vero, niſi pectus ſingulari modo afficiatur, non adeſt. Pulſus intervallis modo celer, modo tardus, modo intermiſſus, modo concitatior eſt. Arteriæ ob influxum ſanguinis vel auctum, vel diminutum aut inflantur, aut detumeſcunt, hinc crebra faciei ruboris & palloris viciſſitudo. Quid? aliquando omnis ſpirituum animalium ex cerebro in partes inferiores influxus eo uſque inhibetur, ut reſpiratio & pulſus cordis ſæpe in totum interrumpantur, quocirca vitæ cum morte commutatio aliquando fit; & hoc unico paroxyſmo contigiſſe obſervatum eſt.

IX. Superſunt quædam ſigna, ex læſione functionum naturalium deprompta, deſcribenda, ut ſtertor, ſingultus, vomitus, cum quo paroxyſmus ſæpe incipit, ut & aliquando cum eo deſinit, ſudor, qui in nonullus frigidus, præſertim in fine paroxyſmi; in aliis vero cum æſtu corporis erumpere ſolet. Hæc omnia Epilepticis, prout magis aut minus afflictis, accidere ſolent: quæ tamen maxima ex parte aliis morbis communia ſunt. Verum, quod ad ſigna, quæ huic morbo propria eſſe dicuntur, attinet, ut ſpuma oris & digitorum contractio, hæc & adeſſe & abeſſe poſſunt. Siquidem doctrina de ſignis magnum momentum habet ad curationem, non poſſum, quin hoc loco inſeram ſigna Epilepſiæ per conſortium invadentis, cujuſmodi hæc ſunt; ſi ab inteſtinis oritur, adſunt ventris murmura, alvi obſtructio, dolores colici &c. ſi à ventriculo, vel à materia inibi contenta appetitus proſtratus, nauſea, vomitus, ſingultus, cibi faſtidium, cardialgia, cholera tam humida quam ſicca. Si à liene, tumores ac dolores in ſiniſtro hypochondrio: interdum etiam circa lienis regionem ſenſus ardoris ac inflammatio à cibo in ſiniſtra faciei parte obſervantur. Sæpe & Epilepſiæ alii morbi conjuncti ſunt, ut ſcorbutus, cachexia, ſcabies, melancholia &c. Si ab utero, adſunt men-

menſium ac lochiorum ſuppreſſio; ſeminis ac fætus mortui retentio; fluor albus, &c. ſi enim menſtrua, ut ſcribit Hippocr. non fluunt, ab utero morbi contingunt: ſi large ſuperveniunt, morbi fiunt, aph. 57. ſect. 5. & lib. coacar. prænot. ſalutare eſt muliebria non cohiberi, nam inde proveniunt Epilepſiæ. Si denique ab aliis partibus, veſica V. C. pancreate, hepate, renibus, vel etiam ab externa aliqua parte vulnerata, vel ulcerata, ut à cerebri abſceſſu, vel corrupta meningis portione, vel à cranii, oſſis pollicis pedis, tibiæque &c. carie, orta ſit, cuncta hæc propriis ſignis internoſcuntur. Tandem ſigna, quæ paroxyſmum finitum produnt, hæc ſunt. Adeſt plerumque omnium rerum oblivio, facies triſtis, vel truculenta, oſcitatio, pandiculatio, pigrities ad motum, totius corporis marcor, venarum frontis extantia; aliquando urget ſitis. Alias ſæpe nihil mali ſentiunt, ſenſibusque tam externis, quam internis bene utuntur.

X. Pervenimus jam ad Epilepſiæ differentiam, quæ duplicis generis eſt; quarum altera certis notis affectum ab alius generis affectu, cum quo ipſi quædam ſimilitudo intercedit, diſtinctum eſſe exhibet: altera vero, ut affectus ab eodem affectu diverſus eſt. E. G. morbus comitialis differt ab apoplexia; in hac enim æger motu prorſus orbatur, in illa vero motus permanet & quidem ultra modum adauctus; præterquam quod ſumma hujus affectus vehementia adſit: in quo caſu hic ab illo non multum differt, quare aliquis non immerito conjectat hunc in illum tranſiiſſe. Differt quoque à convulſione ſtricte dicta; in illa enim eſt contractio muſculorum permanens & dolorifica; aſt in hac motus convulſivi ſunt reciproci, & ſine ullo ſenſu doloris. Simplici quoque convulſione plerumque gravior eſt, & pluribus ſtipata ſymptomatis. Adde quod convulſione correpti omnibus functionibus animalibus minus orbentur. Vide Benev. de abditis morbor. & ſanitatum cauſis, c. 97. Marcell. Donat. H. M. Mirabil. l. 2. c. 4. Eraſt. in Anatom. l. com. Montan. §. 2. pag. 195. Diſtinguitur tandem à Catalepſi, in quâ æger inſtar ſtatuæ eundem corporis ſitum retinet, in quo erat cum ipſâ corriperetur.

XI. Quomodo autem Epilepſia ab Epilepſia diſtinguatur, vix certis notis deprehendi poteſt, quoniam morbus hic tam vario vultu incedit, ut ipſo Proteo mutabilior eſſe videatur. Deſumuntur autem differentiæ indicia à parentibus, ſubjecto, foco, invaſionis modo, cauſâ, aliiſque circumſtantiis. Differentia quæ à parentibus

deſumitur, eſt, Epilepſia hæreditaria, quam, auctores tradunt, parentes Epilepticos cum embryone communicaſſe. Congenita, quando fœtus quidem ex probo utriuſque parentis ſemine antea conceptus, verum poſtea in utero huic malo ſubjicitur, vitio matris ob errorem in diæta commiſſum: vel quod Epilepticum in paroxyſmo viderit, indeque conſternata fuerit: vel forſan alias ob rationes, quarum natura etiamnunc abſtruſa eſt. Ratione temporis, alia eſt adventitia, quæ hominibus, omni ætatis tempore, ab externis injuriis, eos mille modis affligentibus, inducitur. Alia recens dicitur, quæ non diu aliquem invaſit. Alia inveterata, quæ altas egit radices. Tandem & alia eſt, quæ breves, vel quæ longas habet periodos.

XII. Datur etiam differentia ratione ſubjecti; etenim alia eſt infantum, qui maxime hoc affectu conflictantur, præſertim lactationis & dentitionis tempore. Alia puerorum & adoleſcentum, quorum tenella & paulo provectior ætas, plerumque ſex rerum non naturalium abuſu, & præmaturo ac nimio veneris uſu corrumpitur: cum e contrario hoc malum ex ſeminis, in veſiculis ſeminalibus, vel aliis partibus nimis diu retenti, corruptione ortum quoque ducere poteſt. Alia mulierum, quæ ex menſium obſtructione, lochiorum retentione, teſtium putredine, aliave utero ac partibus genitalibus accidente corruptela exoritur. Alia virginum eſt, & viduarum, ob nimiam veneris libidinem, quæ expleri nequit.

XIII. Ratione loci, ſeu partis affectæ dividitur Epilepſia in idiopathicam, alias per eſſentiam; quando cerebri nervoſæ & membranoſæ partes læduntur: & in ſympathicam, alias per conſenſum dictam; quando muſculi, quatenus nervoſi ſunt, aliæque membranæ inferiorum partium, vellicantur. Sunt quidem aliqui, qui ſtatuunt hujus ſympathicæ dari tria, vel quatuor genera; verum ego arbitror eorum plura, imo innumera eſſe.

XIV. Differentia ratione modi invadendi, alia dicitur primaria, quæ nullo nec præſente, nec præcedente morbo exoritur: alia ſecundaria, quæ alium inſequitur morbum, ut Vertiginem, Cephalalgiam, Colicam, Dyſenteriam, & complures alios morbos. Alia periodica, quæ intervallis revertit: alia inordinata, quæ nullas obſervat periodos; ſed nunc citius, nunc tardius redit: alia univerſalis; alia particularis. Alia vehemens, in qua præter motus & ſenſus depravationem à paroxyſmo ſtupiditas, fatuitas, aliaque graviora

viora ſymptomata deprehenduntur. Ex quibus apparet Epilepſiæ eſſe ratione horum accidentium, illorumque cauſarum & partis affectæ magnam cum Apoplexia convenientiam. Alia levis, quæ minoribus ſtipata ſymptomatibus, cui cum vertigine intercedit quædam ſimilitudo.

XV. Tandem ſumuntur etiam differentiæ à cauſis tum internis, tum externis: hinc alia alba, alia livida dicitur. Item à vehementiori, vel remiſſiori invadendi modo, cujus reſpectu Epilepſia dividitur in perfectam & imperfectam. Sic etiam Epilepſia nonnunquam ſola eſt, citra ut corpus aliis malis confligetur: aliquando aliis affectibus conjuncta eſt; cujus ratione à nonnullis vel inter morbos, vel inter ſymptomata referri ſolet. Poſſunt etiam differentiæ capi à vitæ genere, conſtitutione ægri, & ſex rebus non naturalibus; ſed quia hæc, ſi ſigillatim tradenda eſſent, prolixam ſcriptionem poſtulant, ea de cauſa his ego brevitati ſtudens ſuperſedeo.

XVI. Perſpectis morbi ſignis ac differentiis mente circumſpiciam neceſſe eſt, cui corporis parti recenſita multifaria & mirabilia ſymptomata inhæreant. Veteres æque ac recentiores hic maximè inter ſe diſſentiunt: alii enim in ſolidis; alii vero in fluidis morbi ſedem ponunt. Quin & acriter inter ſe diſceptant quænam corporis partes aut ſolidæ, aut fluidæ ſpeciatim afficiantur. Relictis hiſce controverſiis breviter meam in medium proferam opinionem: perſuaſum enim habeo primariam morbi ſedem aliquando in ſolidis; aliquando vero in fluidis eſſe collocandam: in fluidis, quandò à cauſa intrinſecus afficiente: in ſolidis, quando Epilepſia à cauſa extrinſecus lædente, orta fuit. Si in illis, pro parte affecta habeo ſpiritus, ſanguinem cæteroſque humores: ſi in his, nervos, qui intra cerebrum, cerebellum & circa initium ſpinalis medullæ, vel in quacunque corporis parte reperiuntur: muſculos, ut & omnes membranas nervoſas, nec non fibras motrices.

XVII. Etſi cumpluribus admiranda hujus affectus ſymptomata conſiderantibus viſum fuerit affectum hunc *ſacrum* appellare, quaſi vero is à Deo hominibus ſingulariter immiſſus eſſet, mihi tamen longe aliter videtur: ſtatuo enim in noſtro affectu nihil divini, quod quoque non in aliis ſit, reperiri, & hunc æque ac alios à cauſis naturalibus exoriri, quæ jam à me exponendæ ſunt. Mihi tamen in præſentiâ non eſt animus ſingula ſupra memorata phænomena per cauſas proximas declarandi; ſed canabor tantum indicare fontem,

ex quo cuncta nullo negotio derivari queunt. Neque animus fert indicare cauſam phyſicam primam, quam cognoſcere non hominis, ſed ſolius Dei eſt; is enim, quia ὁλοκόσμον & μικροκόσμον condidit, ſolus utrorumque conſtitutionem novit: verum cauſam indagare ſatagam internam eatenus, quatenus ea mihi veriſimilis videtur. Sed antequam cauſam proximam declarem, non ab re fore exiſtimavi, ſi naturam convulſionis, quoniam Epilepſiam motum ſpaſticum eſſe in definitione dixi, declaravero.

XVIII. Quandoquidem vero convulſio à motu præter naturam oboritur, ejus intima natura percipi non poteſt, niſi prius quomodo motus naturalis in corpore humano peragitur expoſitum fuerit. Proinde ex phyſiologia repetimus ſpiritus animales beneficio ſyſtematis nervoſi omnem motum in vivo hoc automato producere; adeo ut omnes functiones & actiones ejus unice ab eorum influxu dependeant: ſingula enim organa, ſive interna, ſive externa ſint, non agunt niſi per muſculoſam & membranoſam eorum ſubſtantiam, nervis ubique continuam. Eorum autem actio conſiſtit in contractione fibrarum motricium, quæ per influxum ſpirituum producitur. Huic contractioni ſymbolam dant in muſculis ſanguis; in membranis vero lympha. Et hæc eâ lege in corpore peraguntur, ut omnis motus ſive naturalis, ſive voluntarius à ſenſorio communi incipiat, & in illud terminetur. Si ſpiritus jam debito modo & copiâ ſecernuntur, & ordinato motu, neque nimis tarde, neque nimis celeriter, feruntur; ſi ſyſtema nervoſum integrum ac illæſum eſt; ſi cætera organa, parteſque ad quas illi propelluntur; ſi ſanguis quoque & lympha contractioni fibræ motricis in quavis corporis parte opitulantes, bene ſunt conſtituta, omnes functiones & actiones in toto corpore tum rite fiunt. Hinc ſenſus integri: inde reſpiratio & ſanguinis circuitus, quin etiam cuncta organa functionibus naturalibus dicata, ſine ullo impedimento munere ſuo funguntur. Artus præterea non niſi ad nutum voluntatis moventur; inde corporis totius incolumitas. Verum ſi ſpiritus animales quacunque de cauſa motu inordinato influunt in fibras motrices tota œconomia animalis perturbatur. E. G. ſi ſpiritus magna copiâ, vehementer, haud interruptè, præter, imo contra voluntatem, ſervato æquilibrio in quemcumque muſculum, atque ſimul in ejus antagoniſtam influunt, membrum inſtar baculi rigidum perſiſtit: quæ cum ita contingunt, affectus convulſio dicitur. Sin vero ſpiritus animales modo in hunc, modo in il-

lum

lum muſculum, aut majori, aut minori vehementiâ viciſſim impelluntur, alius intenditur, alius relaxatur: qui affectus motus convulſivus vocatur, in quo potiſſimum natura Epilepſiæ poſita eſt.

XIX. In ſtatu ſano omnes functiones, ut paulo ante demonſtravi, perficiuntur influxu ſpirituum in nervoſas membranaceaſque partes, quinimo varii motus convulſioni & motibus convulſivis non admodum diſſimiles; ſic collum, brachia, pedes &c. ſæpe fortiter extenduntur, eaque aliquamdiu in illo rigoris ſtatu detinentur. Ita etiam digiti, qui fides pulſant, per reciprocum ſpirituum influxum varie moventur, extenduntur, relaxantur. Sed hæc omnia, determinante ſenſorio communi, ad nutum voluntatis naturæ congruenter procedunt. Verum enim vero nunc quæſtio eſt, quænam motionis à mente non determinatæ cauſa proxima ſit; an partes ſolidæ, an fluidæ, ſanguis puta & reliqui humores, primùm affectæ ſpiritus impellant? an vero ſpiritus, quovis modo affecti, exaltati &c. partes ſolidas & fluidas ita exagitent? quantum ad me pertinet, exiſtimo aliquando partes ſolidas, aliquando partes fluidas, ſanguinem cæteroſque humores, aliquando ſpiritus exaltatos, variè mutatos, à particulis heterogeniis vitiatos, convulſionem, aut motus convulſivos producere poſſe. Cæterum Williſio, ſtatuenti ſpirituum exagitationem fieri in modum eruptionis inſtar pulveris pyrii accenſi, aſſentiri non poſſum: hæc enim naturæ ſpirituum repugnat; quid? quod tubuli tenuiſſimi à tam rapidiſſimo ac vehementi ſpirituum pertranſitu diſrumperentur. Quod vero ad me attinet, arbitror me hac re intricatâ non melius expedire poſſe, quam ſi mihi proponam motus convulſivos, qui excitantur occaſione puncturæ nervi, fruſtuli alicujus oſſis, ſive alterius rei duræ, ut lapidis in bulbo oculi, aciculæ deglutitæ & in inteſtinis hærentis, obſervante Hildano, partem nervoſam pungentis, & ſic motum convulſivum excitantis. Quibus poſitis ſtatuo, modo huic ſimili omnes convulſiones, motuſque convulſivos fieri: ſive illa læſio aut vellicatio membranæ nervi, aut aliarum mebranarum nervo contiguarum fit, ut ſupra dixi, à re quadam acutâ, acri, pungente extrinſecus eas lædente; ſive à materia acri intrinſecus eas ſimili modo pungente, vel quoquo pacto vellicante. Quicquid igitur externe, ſive interne pungendo, ſcindendo, corrodendo &c. membranoſas, nervoſaſque partes afficit, id pro cauſa proxima convulſionis, ſive Epilepſiæ habeo.

 XX. Non

XX. Non magni momenti eſt inveſtigare cauſam proximam, ſi malum à re exteriori lædente ortum duxerit; cauſa enim patet. Verum longa alia conditio eſt, ſi Epilepſia à cauſa interna fuerit ſuborta: dubium namque eſt, cujus generis illa materia acris ſit, & apud quam partem commoretur. De ſede hujus materiæ in antecedentibus ſententiam meam dixi: de ejus indole hoc loco agam. Hujus vitium præcipue ſitum eſt in ſale acido volatili quacunque demum in corporis parte generato, coacervato & volatile facto. Volatile id eſſe, quod hic peccat, probo ex ſubito acceſſu & receſſu paroxyſmorum Epilepticorum nullo fere relicto veſtigio, vel ſequente materiæ excretione notabili, aut in alias partes tranſlatione. Et inſuper id in indolem acidi vergere, ejus aſſerti hæc habeo documenta; 1. Quia meconium, fœceſque virides infantum acidum redolentes, ſæpiſſime motus convulſivos producunt. 2. Quia Epileptici plerumque melancholici ſunt: melancholiam autem de acido participare veteres aſſeruerunt. 3. Quia pus, quod nunquam ſine acore eſt, ex carie oſſium cranii &c. in meninges defluens, motus convulſivos perſæpe efficit. 4. Quia menſium obſtructio, teſtiumque mulierum putredo, quarum cauſam proximam acidum puto, haud raro Epilepſiam inducunt. 5. Quia cibus acidus & crudus iſtis ægris admodum nocet. 6. Quia medicamenta, in Epilepſiâ ſpecifica dicta, facultate acidum abſorbendi, infringendi, concentrandi, figendique prædita ſunt. 7. Quia acidum propter aculeos, atque cuſpides, quibus dotatum, ad pungendum & lancinandum aptum eſt: ita obſervatum eſt, ſpiritus acidos vitrioli, nitri, ſalis communis &c. ſi nimia copia ventriculo ingeſta fuerint, quam promptiſſime motus convulſivos excitaſſe. Similiter Harvæus annotavit fœminam quandam, eo quod occaſione exulcerationis uteri liquor acrior in ejus vulvam injectus eſſet, mox toto corpore convulſam fuiſſe. Adde acidum in vaſculis extremis & minimis, quæ muſculos, membranas quaſcunque & nervorum involucra perreptant, ſanguinem & lympham vehentibus, facile liquores condenſere poſſe. Qui condenſati liquores quamdiu immobiles perſiſtunt, ægri à paroxyſmis liberi ſunt: verum cum hi ad tempus quaſi coagulati per materiam ſubtilem in actum deducantur, ſicque particulæ acidæ ſui juris factæ partes membranaceas pungant, accidunt motus convulſivi. Hi tam diu durant, donec particulæ acres per continuum ſpirituum affluxum ſint diluti, infracti, concentrati, loco pulſi, ſive quovis modo

modo diſſipati. Hinc paroxyſmus intenſior, aut levior; longior, aut levior erit pro majori, vel minori acris materiæ copia in hoc, vel in illo loco collecta, aſſervata. Quin & inde patet, quare periodi longæ, aut breves ſint, ſc. quia materia illa peccans in corpore pauca, vel multa eſt: vel etiam quia aut citius, aut tardius in actum deducitur per ſubitanea & vehementiora animi pathemata, errorem in diæta commiſſum, aërisve viciſſitudines, quas ægri, comprimis tempore autumnali, ſubire coguntur. Ex quibus præmiſſis colligo cauſam Epilepſiæ proximam eſſe ſal acidum volatile, in actum deductum, ſuique juris factum, partes nervoſas quaſcunque, & quacunque in corporis parte pungens, lancinans, corrodens, vellicans, & ita motum convulſivum excitans.

XXI. De cauſa proxima me ſatis ſuperque ſcripſiſſe puto; reſtat indicare quo pacto eadem Epilepſiam, aliaque hanc inſequentia ſymptomata inferre potis eſt. Epilepticorum paroxyſmos eundem ad modum oriri, quo ſternutationes, aliæque corporis convulſiones, irritatâ parte ab acriori materia, excitari ſolent, cum Thoma Eraſto exiſtimo. Proinde ſtatuo materiam acrem, quæ ante paroxyſmum aut quantitate minor erat, aut in quadam corporis parte immota ſubſiſtebat, jam adauctam, ſive in actum deductam, materiâ cœleſti motum humorum inteſtinum promovente, hanc vel illam partem nervoſam vellicare & more vermium rodere; ſive ea in capite fuerit, ut in Epilepſia idiopathica; ſive in thorace, abdomine; ſive in artubus, ut in Epilepſia ſympatica: quo in caſu etiam ille halitus, ſive aura adſcendens nihil aliud eſt, quam nervi convulſio, quæ ad ſenſorium commune quaſi reptando adſcendere videtur: nervorum enim natura ita comparata eſt ut tendonum, quorum fibrilla ſi una moveatur, moventur quoque plures aliæ, adeo ut ſi una ex his in extremitate fuerit mota, fibrilla tota moveatur. Quapropter ſi pars nervoſa vel membranacea nervo continua vellicetur, irritatur principium nervorum eo latere, quo vellicatio fit. Hac irritatione ſpiritus ſolito majori copia ad illam vellicatam partem, quaſi ei ſuppetias ferendo, determinantur; idque motu magis minuſve inordinato, vehementeque, prout vellicatio aut intenſior, aut debilior fuerit: hinc membra, viſcera, ſive aliæ partes nervoſæ, inflantur, rigeſcunt, convelluntur: Imo inde evenit, ut aliæ corporis partes, cum ad affectam partem omnes fere ſpiritus mittantur, debitâ portione priventur. Quod ſi ſpiritus in partes in-

fluant,

fluant, fiunt varii motus convulſivi interni, æque ac externi. Sin vero ipſis eorum influxus denegetur, ceſſant iſtarum partium functiones: ceſſant ſenſus interni & externi: denegato enim ſpirituum influxu, & hinc tenuiſſimis nervorum filamentis haud debito modo diſtentis, quin & compreſſis, motus ab objectis organis ſenſuum impreſſi progredi impediuntur, &, antequam ad cerebrum perveniunt, abolentur: tardius reſpiratio & cordis pulſus fiunt, & quandoque intercipiuntur: muſculi ſphincteres dicti reſolvuntur: & ſi quandoque aliquod membrum rigidum eſt, alterum ſæpenumero flaccidum evadit: hinc ægri ſubito humi proſternuntur. Imo aliquando paralyſis ſe finitâ acceſſione manifeſtat; quæ, vel ob nimium ſpirituum in gravi acceſſione diſpendium; vel ob aliquod, quod ipſis ineſt, vitium, ſive illud ſit viſciditas, ſive alia quædam *heterogeneitas*, cerebri poros, nonnullorumque nervorum principium obſtruens; vel ob eorum nimis diutinam compreſſionem, ſuborta fuit. Ut & multi alii affectus tam mentis, quam corporis hujus morbi pediſſequæ eſſe poſſunt; qui itidem aut à morbi vehementia, aut variis ſpirituum, ſanguinis, ac humorum vitiis ortum ducunt.

XXII. Indagata cauſæ proximæ naturâ, ordo diſſerendi exigit, ut cauſas remotas narratione delibem. Hæ ab auctoribus dividuntur in naturales, non naturales, & præternaturales. In cauſis naturalibus, corpori inhærentibus, annumerantur, 1. Temperamentum ſanguineum: Hipp. enim lib. de victu teſtatur Epilepſiam quandoque à nimia ſanguinis abundantia oriri. Et Petrus Sales de induſtria ſcripſit de Epilepſia à ſanguine orta: plèthora enim vaſa ſupra eorum elaſticitatem extendit, hinc ſanguinis tardior circuitus, obſtructio, acor. 2. Temperamentum melancholicum & pituitoſum; cum enim in hujuſmodi temperamento particulæ terreæ & viſcidæ rerum potiuntur, facile ubique obſtructiones fiunt; atque adeò in ſanguine & humoribus acrimonia oboriri poteſt. 3. Ætas infantum & puerorum; quia horum corpora admodum tenera ſunt, ac proinde injurias externas non facile ferre poſſunt; debilis enim ipſis eſt ventriculus, languidaque ſunt cætera viſcera, quæ facillime à minima cauſa præternaturali læduntur. 4. Diſpoſitio hæreditaria: verum, quomodo hæc cauſa Epilepſiam inducat, explicatu difficile, ſi non plane impoſſibile eſt; quocirca ſatius eſſe putavi de eo nihil dicere, quam conjecturas ratione evidenti deſtitutas in medium proferre.

XXIII.

XXIII. Inter res non naturales primum occurrit aër; hic ſi craſſus, frigidus & nebuloſus eſt, ſanguinis ac humorum motum quadantenus ſufflaminat, ac tranſpirationem inſenſibilem impedit, & ſic morbi materiem producit: quo aëris vitio imprimis infantes læduntur, teſte Hipp. Aph. 16. ſect. 3. Si is è contrario nimis calidus eſt, ſanguinem & humores ſupra modum exæſtuare facit, hinc particulæ ſubtiliores diſſipantur, ſanguis fit vappidus, qui deinceps cum cæteris humoribus nullo negotio acorem contrahit; ſicque æſtum ſolis quandoque Epilepſiæ anſam dediſſe teſtatur Blancard. lib. de morbo infant. obſ. 4. Item ſi aër eſt impurus, variiſque particulis acribus ac rerum quarundam fœtidarum exhalationibus refertus, ſanguis & humores acquirunt diatheſin, quæ prompte Epilepſiam inferre poteſt. Vide de hiſce Apuleum & Ammannum in medicina critica. Sic obſervavit Nymannus l. de Apoplexia, c. 26. hunc morbum à vaporibus, ex calce exſpirantibus, ortum fuiſſe. Imprimis vero prava victus ratio Epilepſiam corpori importare poteſt. Proinde incuſanda ſunt omnia alimenta cruda, omneſque cibi difficilioris digeſtionis, & qui facile corruptioni obnoxii ſunt, quique nimis acidis & ſalſis particulis ſcatent. Nimia eorum ingluvies, & præcipue nimius & frequens uſus fructuum crudorum acidorum. Hinc multæ in primis viis oboriuntur cruditates, & ubique ſanguinis & humorum obſtructiones in vaſis capillariis; crudus enim Chylus producit fæculentum ſanguinem, ac humores craſſos. Culpantur quoque cibi flatulenti, ut allium, cæpæ, legumina &c. ita etiam inedia, vel cibus tardius ac oportet ſumptus, huic morbo occaſionem ſubinde ſuggerit. Non minus damnum œconomiæ animali infert potus nimius, præcipue vini & cereviſiæ non ſatis defæcatæ & aceſcentis, hæc enim ſanguinem incraſſant: ut & nimius uſus ſpiritus vini, vel vini generoſi, quæ ſanguinem ſubinde ſupra modum exagitant; hinc ſpiritus diſſipantur, & humores acriores redduntur. Nec culpa carent nimiæ vigiliæ, lucubrationes, ſtudia intentiora, & exercitia corporis immodica, quibus maxima fit jactura ſpirituum. Ex adverſo non exiguum quoque corpori damnum infertur à ſomno immoderato, & ab intermiſſis debitis corporis exercitationibus. Nam ſi aliquis ſomno & quieti nimium indulſerit, obſervatum eſt, ſanguinem, alioſque humores incraſſari, membraque corporis torpeſcere; qua de cauſa variæ obſtructiones producantur, neceſſe eſt. Sub cenſu rerum non naturalium etiam

veniunt excernenda & retinenda; ſed de his paulo poſt ſcribam, ubi cauſas præternaturales tractabo, quia de proprietate cum iis convenire mihi videntur. Tandem occurrunt animi pathemata, ut ira, mœror, melancholia, contumelia, ſollicitudo, timor, conſternatio ob malum nuntium &c. Quid mali autem hæc omnia, ut morbus Epilepticus corpori inducatur, afferre valeant, ex variis obſervationum ſcriptoribus abunde conſtat, de quibus vid. Foreſt. lib. 1. obſ. 54. Sic aliquando hunc morbum induxit aſpectus rerum terribilium, ut decollatio hominis & adſpectus Epilepticorum ſymptomatum, vid. Plater. lib. 1. obſ. & Bagl. in praxi, cap. 14. item ſubitus terror, vid. Cl. Dekker. exercitat. pract. & Henr. ab Heers, ut terror ex improviſo tonitru; quin etiam auditus ſoni horrendi & inſueti, ut campanarum, tubarumque clangoris, vid. Foreſt. l. 10. obſ. 54. in ſcol.

XXIV. Inter cauſas præternaturales, quæ fere innumeræ ſunt, refero Cephalalgiam, Vertiginem, cruditates ventriculi, præcipue cruditatem acidam, Scorbutum, vid. Matth. Martin. p. 70. 338. 383. Colicam, Choleram, tormina ventris &c. in primis enim viis, & ſæpe quidem in ventriculo, vitium latet. Quandoque hic affectus oritur, α. à ſuppreſſione menſium, vid. caſum 12. l. 1. Timæi à Guldenklee, & Foreſt. l. 11. obſ. 66. in ſcol. β. à ſuppreſſione hæmorrhoidum & lochiorum; γ. à graviditate, vid. Paul. Æginet. l. 3. c. 13. & Fernel. Pathol. l. 5. δ. interdum à ſecundina retenta & corrupta; ε. à fœtu in utero mortuo, de quo Foreſt. l. 10. obſ. 66. ζ. à partu difficili, ſemine retento & corrupto; η. à calculo renum & veſicæ, v. Barthol. cap. 5. H. 61. θ. ex nimis diutina urinæ continentia, Vid. Joh. Bapt. Montan. conſ. 29. Joh. Heurn. in l. de morb. cap. ι. ab excretione ſanguinis nimia, nimioque veneris uſu, de quo vid. Plater. & Henr. ab Heers in obſ. ια. à venenis quovis modo hominem infeſtantibus. Vid. Fernel. de abdit. rer. cauſis, l. 2. c. 15. & Foreſt. l. 17. obſ. 13. ιβ. à ſternutatione haud recte procedente, vel interrupta, teſte Salmuth. c. 1. obſ. 93. ιγ. à nimio alvi fluxu, imprimis à fortioribus catarthicis. Huc etiam pertinent caſus, contuſio, vulnus cranii, vid. Petr. Marchet. Medico-Chirurg. obſ. 7. fractura cranii, quia oſſium fragmenta acuminata duram matrem, parteſque nervoſas pungunt. Quandoque accidit eruptio ſanguinis, qui putreſcit ſub cranio, cujus acore vellicantur & corroduntur membranæ. Spectant huc etiam ſcirrhi in glandulis meſenterii, mammarum,

hypo-

hypochondriorum &c. humor ater & acris in inguinibus. Turunda nimis longa in vulnus immiſſa aliquando in cauſa Epilepſiæ fuit, vid. Petr. Marchet. loco citato obſ. 40. & Scult. armamentar. Chirurg. obſ. 14. pag. 667. Infantes corripiuntur Epilepſiâ ex lumine intenſo de improviſo occurrente; ex ſplendore candelæ, vel ignis vehementer ardentis; à capite ſubito refrigerato & madefacto; ab aqua nimis calida, qua partes conſpurcatæ abluuntur; ex linteaminibus, quibus involvuntur, madidis ſeu frigidis; ex eo, quod cruſta capitis citius, quam par eſt, & una vice auferatur; quod humores retro aures per negligentiam nutricum nimis ſubito exſiccentur, & ulcera conſolidentur, qua de cauſa excretio humoris ſeroſi penitus impeditur, vid. Aph. 24. ſ. 3. aut quod linteamina nimis aſpera ſint, quibus nervorum fibrillæ vellicentur. Sæpe etiam Epilepſiæ cauſa fuit impedita excretio pituitoſi humoris per nares, Vid. Dekker. exercit. pract. p. 59. & 388. Item anus imperforatus, meconium retentum & acre factum, bilis æruginoſa in ventriculo & inteſtinis hærens: hinc ſæpe alvi fluxus & tormina & fœces virides acorem ſpirantes &c. inde Epilepſia, niſi fiat dictarum exinanitio; alvus adſtricta, hinc ventris dolores pungentes, colica pæſſio, vid. Aug. Thoner. obſ. 3. l. 2. lumbrici in ventriculo & inteſtinis, qui eorum tunicas vellicant & mordent, vid. Foreſt. l. 10. obſ. 65. & Williſ. cap. 4. pag. 27. de morbis convulſiv. & Thom. Barthol. Epiſtolar. cent. 4. hiſtor. 7. Jul. Cæſar. Claudin. conſult. 64. Ruland. cent. 8. curat. 13. (Epilepſiam autem à vermibus oriri extra dubium eſt ex eo, quod affectus, poſtquam illi expulſi fuerint, omnino ceſſet); vehementiores dolores, ut & varioli, inflammatio umbilici, dentes difficile erumpentes, vid. Sylv. l. 4. c. 6. tract. 1. & Blankard. l. de morbis puerorum, obſ. 1. confer cum his quæ ſupra Theſ. 9. 12. de ſignis & differentiis dicta ſunt.

XXV. Signa prognoſtica, quorum cognitio practico non minus, ac diagnoſticorum ſummè neceſſaria eſt, ex certis hauriuntur fontibus: petuntur enim à morbi natura, virium robore, parte affecta, ac denique à juvantibus & nocentibus. Ut autem ad rem deveniam, ſtatuo, omnem Epilepſiam eſſe periculoſam & non facile curationem admittere: nam graviſſimus admodum & pertinax eſt affectus; quia nobiles ſunt partes, quæ hic afficiuntur, & ad quas medicamenta non æque, uti ad alias partes, quæ magis propinquæ ſunt, integris viribus pertingere poſſunt; & deinde quia eam vehementio-

ra ſymptomata concomitantur; cum enim affectus ab affectu pro ſubjecti & cauſæ diverſitate, nec non pro vario invaſionis modo, ac tempore, ut ſupra poſuimus, diverſus ſit, hinc etiam una Epilepſia præ alia periculoſior & curatu aut facilior, aut difficilior eſt. Epilepſia itaque idiopathica periculoſior eſt & curatu difficilior ſympathicâ, quoniam acceſſiones habet frequentiores; ſtructura cerebri admodum vitiata eſt, & principia nervorum aut obſtructa, aut nimis patula evaſerunt, unde particulæ heterogeneæ iſtis tubulis ſe inſinuantes lethales efficiunt obſtructiones: *quum enim ætatem*, ſcribit Hipp. *morbus adeptus fuerit, non amplius curabilis eſt, cerebrum enim eroditur à pituita, ac colliquatur.* Sympathica vero curatu eſt longe facilior, quoniam hæc oritur à partibus in abdomine contentis, confer ea, quæ theſ. 9. tradita ſunt: in quibuſdam tamen caſibus, ut ſi à putredine teſtium orta fuerit, etiam curatu valde difficilis eſt. Hæreditaria & congenita habentur pro immedicabilibus; ſunt tamen auctores qui tradunt hanc interdum aliquam curationem admiſiſſe. Adventitia, quodam vitio, vel errore in diæta contracta, ſi recens fuerit, quæque non altas egit radices; item ea, quæ intervallis affligit, vel denique quæ gravioribus non eſt ſtipata ſymptomatis, curari poteſt; nec non infantum, puerorum ac adoleſcentum; in illis enim ſæpe victus, locorum atque ætatis mutatione liberatio fit, vid. Hipp. aph. 45. ſ. 2. in iſtis virium adeſt robur, ſæpe ſpiritus, ſanguis & humores non admodum ſunt vitiati, qui proinde non ita difficile reſtitui poſſunt; in his vero tempore pubertatis fermentum peregrinum, ac particulæ heterogeneæ Epilepſiam efficientes, ex ſpiritibus, ſanguine & humoribus deferuntur, & una cum ſemine & menſium profluvio excernuntur. Ad hanc claſſem quoque pertinet Epilepſia virginum pallidam atque tumidulam faciem habentium, ac viduarum juvencularum, quæ omnium curatu eſt facillima, dum ea unico ſpecifico adhibito, uterum ſimul reſpiciente, aut bono conjugio, aut primo puerperio, nonnunquam feliciſſime profligatur; quod contigiſſe experientiſſimorum quorumque medicorum annales teſtantur. Epilepſia virorum, coitu; & gravidarum, edito fœtu, plerumque ſolvitur. Quod ſi vero neque pubertate, neque menſtruorum initio, neque primo puerperio ſoluta fuerit Epilepſia, ægrum ad vitæ finem uſque comitari ſolet. Item, quibus contingit ante pubertatem, illi ſæpe curantur: quibus vero poſt annum 25. accidit, illi

fere

fere nunquam curantur, ut hoc teſtatur medicorum princeps, aph. 7. ſect. 5. attamen varia proſtant exempla, plures ætate provectos ab hoc affectu liberatos fuiſſe. In ſenibus ob tardiorem ſanguinis circuitum, ſpirituum defectum &c. nullam curationem in ſpe habemus. Item, ſi Epilepſia acquiſita vehemens eſt, difficillime curationem admittit, & nonnunquam in graviorem affectum tranſit, ut in apoplexiam, & paralyſin; vel per ſe lethalis evadit. Quæ à cauſa interna orta eſt, longiorem quoque curam poſtulat, quam quæ ab externa originem duxit. Si univerſalis eſt, non raro inducit vitæ cum morte commutationem; ſin vero ſingularis, non adeo periculoſa hæc eſt. Si Epilepſia ex ſemine corrupto, vel ex ovario putredine affecto, vel alio modo corrupto, plane immedicabilis ea eſt, niſi prius corruptio tollatur. Eadem conditio eſt atri & acris humoris in inguine, & cæterorum morborum, qui Epilepſiam ſympathicam inducunt; ſi enim hi non prius tolluntur, affectus noſter nullo modo curari poteſt. Minus periculi etiam eſt in iis, quorum vultus albicans, quam quorum lividus eſt, propter majorem in his humorum depravationem. Infantes vehementioribus ac crebris inſultibus correpti ſæpe eodem die è medio tolluntur; ſin autem ſuperſtites ſint, non raro fiunt ſtupidi & fatui: vel pes, vel manus, aliæque partes inutiles redduntur. Melancholici fiunt aliquando Epileptici; & vice verſâ. Viri potius Epilepſiæ ſunt obnoxii, quam fœminæ, propter menſium profluvium, quo perpurgantur. Infantes quibus cruſta propter ſcabiem in capite eſt, Epilepſiâ non corripiuntur. Epilepſia, quæ parturientes corripit, non ſolet reverti: nec ea, quæ provenit à vermibus, ſi utpote hi fuerint ejecti. Epilepſia in prægnantibus facile ſedatur. Epilepſiæ longæ, febris bono eſt, ſecundum illud Hipp. l. 6. Epid. ſect. 6. quartanâ correpti à magno morbo liberantur.

XXVI. Indicationes noſtri affectus eædem ſunt, ac convulſionum; ſed probe attendendum eſt, quales ſint, & quid indicent: præſertim an Epilepſia ab interna, an vero ab externa cauſa, orta ſit: harum enim notitia eſt regula practici. Proinde ſpirituum motus inordinati ac vehementes ſunt ſiſtendi, compeſcendi. Sal acidus volatilis, in ſanguine & humoribus exiſtens, eſt temperandus, infringendus, figendus, & expellendus. Obſtructiones, ubi fuerint, reſerandæ ſunt; ſemperque ſedis morbi ratio habenda. Nec non partes convulſæ, quantum fieri poteſt, laxandæ. Cauſæ remotæ inter-

internæ, pariter & externæ, removendæ ſunt.

XXVII. Pervenimus tandem ad Epilepſiæ curationem, quam conabor pro exiguis ingenii mei viribus ſuccincte & breviter tradere. Hanc duplici ratione eſſe inſtituendam duco: altera reſpicit ea, quæ in paroxyſmo; altera, quæ extra paroxyſmum à medico peragenda ſunt. In paroxyſmo omnis adhibenda eſt diligentia, ut ille quam citiſſime ſolvatur, vel ſaltem mitior reddatur. Ante omnia curandum eſt, ne æger ſe lædat: igitur capiti, ne illud rebus duris allidatur, pulvinar, aut alia quævis mollia, ſubſternenda ſunt. Et ut lingua ne mordeatur baculus, vel cochlear ſtanneum, vel ſimile, ori immittendum eſt. Si os vero clauſum, aperiendum eſt, ut ſpuma ex hoc effluere, æger liberius reſpirare, medicamenta ori inſtillari, vel ſaltem fauces illiniri queant. Corpus horizontaliter ponendum eſt, hac enim poſiturâ ſpirituum ferocia aliquatenus cohibetur. Partes convulſæ, ac diſtortæ in rectum extendantur; verum id fiat pedetentim, non vi; oſſa enim à ſubita & nimis vehementi extenſione luxata; imo aliquando fracta fuiſſe practici obſervarunt. Ut æger autem excitetur, tutiſſime hic uſurpari poſſunt ſpirituoſa, ut ſpiritus penetrantiſſimi, qui partim nervorum fibrillas vellicant; partim cerebri obſtructiones reſerant. Hi autem naribus admovendi ſunt, ut ſp ſal. armon. fulig. urinæ, C. C. tinct. caſtor. quæ eo penetrantiora eſſe debent, quo affectus magis ad apoplexiam vergit: verum hæc non continuo, ſed interpolatis vicibus exhibenda ſunt, alioquin paroxyſmum jam pene ſolutum, hinc denuo exacerbatum, non ſemel obſervarunt practici. Conveniunt quoque ſuffitus & odoramenta ex graveolentibus, ut ruta, aſa fœtida, caſtorio, galbano, pennis pavonum, ac perdicum &c. imo ipſum opium ob ſal volatile, quod ei æque ac memoratis ineſt, hic conducere poteſt: ſed cautè procedendum eſt, ne per dicta ſuffumigia reſpirationi aliquod detrimentum accidat. In nares commodè etiam inflari, immittique poſſunt omnigena errhina acria, vel ſicca, vel humida. In os partitis vicibus infundatur mixtura quædam antepileptica, facta, E. G. ex ſp. ſal. armon. ſal. vol. oleoſ. ſp. urin. fulig. caphur. ſal. ſuccin. vol. &c. quod ſi vero motus convulſivi vehementiores fuerint, addantur mixturæ antepilepticæ tincturæ, opii parva quantitas, & quædam fixa & pertinacia: etenim opium, ſi vis ſulphurea atque acris ei dempta fuerit, comprimis conducit, & potius ejus tinctura, quam ipſum opium; quod opium tamen, quo major

eſt

eſt paroxyſmus, eo parcius exhibendum eſt. Item inungantur nares, tempora, ſutura & cervix ol. ſuccin. cariophill. roriſm. caſtor. vel ejus tincturâ, balſam. rut. antapopl. ſp. lumbricor. matrical. penetrantiſ. fulig. Aliquando paroxyſmus finitur, ſi fruſtula N. Moſch. vel Cariophil. in os immittatur. Conducunt cucurbitulæ, magna flammâ, cum, aut ſine ſcarificatione, aptatæ; ſuppoſitoria, Clyſteres acriores ex hier. picr. & croco metallor. vel ejus infuſione, niſi involuntaria adfuerit fæcum excretio; aliquando V. S. ſi modo commodè in paroxyſmo inſtitui poſſunt, præcipuè in juvenibus, qui peractâ ſanguinis detractione freqentiſſime ad ſe redeunt. Inſtituantur quoque validæ ac fortiores ligaturæ, & vellicationes partium, quæ ſenſu exquiſitiſſimo præditæ ſunt. Prodeſt appellare ægrum nomine gentilitio. Eadem cura infantibus in paroxyſmo adhibetur: ſed cavendum ne medicamenta nimis ſint volatilia; hæc enim ſpiritus horum infantum nimis exagitarent, ac nimium motum in illorum ſanguine & humoribus inferrent: quare nominatis pharmacis addenda ſunt pertinacia & confortantia, ut raſura ebor. cran. homin. violentâ morte interempti, C. C. Philoſoph. pp. unicorn. ung. alcis, margarit. corall. lap. bezoard. pulv. Comitiſſ. de Kent, ſuccin. alb. pp. confect. hyacinth. Imprimis hic attendendum eſt, ut oculi immobiles ſerventur, quod ſi incuriâ fuerit omiſſum, ſæpe ſtrabiſmus obvenire ſolet.

XXVIII. Curatio extra paroxyſmum ſecundum morbi indicationes dirigenda eſt. Ut itaque his ſatisfiat, remedia ex triplici fonte, chirurgico nempe, pharmaceutico, & diætetico haurienda ſunt. Ex chirurgia quædam univerſalia depromuntur; verum de horum ſelectu inter auctores non convenit. Sanguinis miſſio locum habet, ſi plethora urget, ſi ſolitæ ſanguinis eruptiones ſubito ſuppreſſæ ſunt, quarum ſignum eſt gravans & pungens capitis dolor, ut & vehemens circa pectus preſſura; itidem ea inſtituenda eſt, quando inflammationis metus eſt. Hanc ſanguinis miſſionem non ideo inſtituendam eſſe puto, ut acrimonia ſanguinis & humorum tollatur, ſed ut vaſa, quæ ultra modum diſtenta erant, depleantur; ſanguinis enim jacturam, quia frenum bilis eſt, non oportet facere. Etiam in pueris, ſi ætas modo fert, ſanguinis detractio fieri poteſt. Verum de ſanguinis miſſione in genere obſervandum eſt, quod ſi cacochymia adſit, eam uſum non habere, præſertim in climate noſtro frigidâ aëris temperie dotato: quæ ni fuerint obſervata,

non

non raro acceſſiones æque in adultis ac pueris increbreſcunt; imo ſæpe numero mortem inferre ſolent. Arteriotomiam, quia vulnus ægerrimè ſolidatur, non duco inſtituendam. Capiti, poſtquam capilli fuerint deraſi, proſunt frictiones. Alii miris laudibus extollunt veſicatoria pone aures. Alii ſetaceum in cervice, ut Fabr. Hildanus. Alii cauterium actuale in ſutura coronali, vid. Dekker. Exercit. Pract. pag. 112. Piſon. & Scultet. Armamentar. Chrirurg. obſ. 13. pag. 665. nec non Iob. à Meker. Loco cauteris ſumi poteſt linum pulvere maſtichis conſperſum & ſpiritu vino madefactum, quod accenſum, antedictæ parti admoveatur. Alii vero his omnibus fonticulos in artubus factos præferunt. Alii laudant hirudines vaſis hæmorrhoidalibus aptatas. Quod ſi vero morbus adeo pertinax fuerit, ut hiſce, vel aliis auxiliis cedere neſciat, ad remedia fortiora, ad uſtionem, ad cranii terebrationem, ut duro nodo durus cuneus admoveatur, confugiendum eſt. vid. Vincent. Alſar. à cruce. Si Epilepſia exorta fuerit à vulnere, abſceſſu, carie cranii, aliorumve oſſium &c. ea ſecundum chirurgiæ leges curanda eſt: ſi dolor in artubus ante paroxyſmum ſentiatur, & aura ex inferioribus partibus ad cerebrum adſcendere ægro videatur, illico ligaturâ pars illa conſtringatur, ſed non diu conſtricta maneat, ut ſanguinis circuitus ne impediatur. Si anus infantis imperforatus fuerit, aperiendus eſt. Si umbilicus inflammatus fuerit, emplaſtrum triapharmacum &c. ei ſuperponendum eſt.

XXIX. Pro affectu noſtro curando ex fonte pharmaceutico deſumenda eſſe exiſtimo, 1. humorem vitiatum corrigentia & præparantia. 2. Eundem evacuantia. 3. Quæ ſpecifica audiunt. Si ſanguis cæterique humores acres, vel acidi fuerint, corrigendi ſunt per teſtacea, lapides, & corallia præparata, oculos cancrorum, cornu cervi uſtum, bolum armen. terram ſigillat. ſalia alkalia, tum volatilia, tum fixa, ſal armon. chalibeat. ol. ſuccini, vel roriſmar. ſaſſafr. Cariophil. rut. major. menth. & ſimilia temperantia. Verum cumplures ægri ob capitis debilitatem ſalia volatilia ferre non poſſunt, quam ob rem nonnulli conſultum ducunt iis adjungere ponderoſa, quibuſdam pertinacia dicta, ut cinnabaris tum nativa, tum antimonii, varia ex chalibe, luna, auro &c. confecta. Si nimis viſcidi & craſſi fuerint, attenuandi ſunt, hic proſunt rad. calam. aromat. zedoar. galang. zingiber. imperator. angelic. Chinæ, ſalſeparil. valerian. ſilveſtr. cortex Winteran. lign. guajac. ſaſſafr.

viſcus

viſcus quercinus, fol. dictamni Cretici, herb. betonic. Epatic. nobil. meliſſ. rut. ſalviæ, flor. anthos, betonicæ, aromata quævis, & ea, quæ antiſcorbutica dicuntur. Si conſtant ex particulis volatilibus poſſunt fieri infuſiones, ſin fixioribus, apozemata. Sed abſtinendum à conſervis, quia cum ſaccharo præparantur, quod pituitam generat & acidum penetrans habet: imprimis vero nocivum eſt eis, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondet.

XXX. Si viſum fuerit primas vias expurgare vomitorio, attendendum eſt, num in ventriculo ſaburra ſit; an ingluvie, crapula, aut cruditate vel acida, vel niderosa æger vexetur; an idem prænuncia inſtantis paroxyſmi percipiat, cujus ſigna haurit, vel ex ſolita periodi acceſſione, vel ex maximo ventriculi dolore; tum oportet exhibere leve vomitorium, V. C. ex rad. vincetox. aqua mulſa & vino extractum; vel ol. com. cum aq. tepida; vel tartarum emeticum, & cætera ex regno minerali petita vomitoria. Si vero materia vitiata, vel in ſanguine cæteriſque humoribus, vel & in ipſis inteſtinis inhæreat, magnæ utilitatis erunt pilulæ, quæ in affectu hypochondriaco uſurpantur, ut ſunt pil. ex gum. ammon. ſagapen. alöe roſatâ, trochiſc. alhand. pulvere vel reſinâ jalap. extracto helleb. nigri, quibus adjungi poſſunt myrrha, maſtich. thus, caſtor. ol. ſuccin. alb. vel roriſmar. ſaſſafr. cariophill. rutæ, majoran. menthæ &c. quæ ſimul viſcidam materiam incidunt, attenuant, ſaburram ex ventriculo & inteſtinis expellunt, obſtructiones primarum viarum tollunt, humorum acrimoniam corrigunt, atque una expurgant. Infantibus commodè dari poteſt ſyr. cichor. cum Rheo, diaſereos &c. additis antepilepticis. Sed bene animadverti debet, quod purgantia non ſint nimis vehementia danda. Verum quando ſaburra humorum vitiatorum una vice evacuari nequit, enemata primas vias eluentia præmittenda ſunt; hæc confici poſſunt ex rad. bryon. herb. malv. parietariæ, rutæ ſylveſtr. verben. flor. melilot. ſterc. pavonis &c. add. Electuar. diacathol. bened. laxativ. &c. ol. rutæ, amygdal. dulc. vitel. ovor. ſal gem. nitrum &c. In infantibus imprimis attendendum eſt ad meconium, quod quam primum excerni debet levi clyſtere ex aq. tepida cum melle mercuriali, vel ex cerevis. d. cum butyro inſulſo facto: ſive ſuppoſitorio, quod facile parari poteſt ex charta griſea oleo quodam imbuta, vel candelâ, vel melle &c. attamen enema ſuppoſitorio præſtantius eſſe judico, quia materiam acrem ſimul diluit. Verum hoc non ſatis in inteſtinis adſcendere

D poteſt,

poteſt, neque ad ventriculum uſque pervenire: hinc purgantia & ſæpe vomitoria, ſi malum in ventriculo & inteſtinis hæreat, præferenda ſunt; ut ſi Epilepſia à nimia lactis ingurgitatione proveniat, confert ſtatim, ne lac in ventriculo aceſcat, emeticum; eâ tamen conditione, ut vires adſint, & aliæ circumſtantiæ contrarium non indicent. Meconium optime per inferiora educitur exhibito coloſtro, in quo egregia purgandi vis eſt. Si vero alvus hiſce non reſpondeat, detur ſyr. de cichoreo cum Rheo &c. ſic fæces virides, vermes &c. catharticis convenientibus educenda ſunt. Dictis univerſalibus evacuantia ſingularia ſubjungi queunt, ut ſunt errhina, maſticatoria, ac gargariſmata, quæ, cum & in aliorum affectuum curatione uſum habeant, idcirco hæc in præſentiarum miſſa faciam. Nec animus eſt attingere curationem Epilepſiæ, quæ à venenis, aut ab aliis morbis prægreſſis, ortum ducit; quæ curanda eſt ſecundum methodum, quam auctores in pertractatione eorum affectuum tradunt; quod ſi fieri non poteſt, impoſſibile factu, ut Epilepſia, quæ eorum ſymptoma eſt, curetur.

XXXI. Dictis eis, quæ vitiatum humorem corrigunt, quæque eundem per varia corporis loca ſecretioni deſtinata educunt, ſequuntur medicamenta ſpecifica dicta, quæ nempe ob ſingularem virtutem cauſæ morbi proximæ adverſantur. In quorum numero collocantur. rad. flor. & ſem. pæon. flor. lilior. convall. rec. omne viſci genus, imprimis quercinus. ol. heraclinum Rulandi. lignum buxi, imprimis ejus oleum. ſem. lycopodii, vel pulvis juliorum coryli, qui inſigne antepilepticum, præſertim pro infantibus habetur. aq. vel ſpir. ex flor. tiliæ, aq. ceraſor. nigrorum, ſanguis hominis jam modo decollati, & ex hoc ſpiritus ſal. vol. & oleum, pulvis & ſpiritus ſecundinæ humanæ. Raſura & ol. cranii humani; ejus ſpiritus & ol. per deſtillationem cum ſuccino parata. Sp. & ol. cerebri humani. raſura dentis hippopot. unicornu tum foſſile, tum animale. Eſſentia caſtorii cum ſp. ſal. armon. acuta. Stercus pavonis, ungula alcis, & hirundines; præcipue vero aqua earum deſtillata cum caſtoreo. Sulphur antimonii auratum; & cinnabaris antimon. vel ejus loco nativa. Sp. vitrioli dulcis, vel ejus ſpiritus volatilis. Succinum, & omnia, quæ ex eo fiunt. Liquor C. C. ſuccinatus, caphura, cryſtallus denique montana, quæ in Epilepſia per conſenſum abdominis, ubi opus eſt acidi inverſione, multum pollet. Ex his poſſunt ad lubitum medici omnis generis compoſi-

poſitiones concinnari, quibus, ut brevitati ſtudeam, conſulto ſuperſedeo.

XXXII. Epileptico, victus rationi operam daturo, offert ſe primum aër, quem quoad fieri poteſt, oportet haurire purum &c. è contrario fugiat aërem impurum, inæqualem, nebuloſum, malignum, ut & nimis calidum, vel frigidum. Item omnes exhalationes rerum fœtidarum, acrium, ut calcis vivæ, carbonum, candelæ &c. excitetur autem gratus odor herbarum odoriferarum convenientium, cœterarumque rerum fragrantium. De cibo, deque potu ægrotus attendat, ut utatur cibis moderatè calidis ac ſiccis, boni ſucci & facilis digeſtionis, ut ſunt gallinæ, earumque pulli, capones, columbæ, caro agnina, vitulina, lepores juniores, perdices &c. condiantur cinamomo, cariophillis, nuce moſchata, aliisque aromatis ſtomachicis, & iis, quæ antepileptica vulgo dicuntur. Evitet vero cibos frigidos & humidos, & eos, qui concoctu ſunt difficiles, ut carnem porcinam, anſerinam, paſſeres, annates, &c. nuces juglandes, avellanas, &c. Evitet vaporiferos, ut cæpas, allium, ſinapi, lactucam, raphanum, portulacam &c. quin etiam facile putreſcentes, ut poma, pyra, cœteroſque fructus horreaticos; item legumina, lacticinia &c. Pro potu ſeligat cereviſiam recentem, bene tamen fermentatam; vinum generoſum: puto enim non omne vinum Epilepticis, præſertim aſſuetis ac adultis eſſe prohibendum. Præterea æger probè obſervet, üt ejus ventriculus nec cibo, nec potu nimium repleatur; neque inediâ nimis exinaniatur. Exercitationes corporis ſint moderatæ. Caveant ſibi ægri ne in gyros cogantur; neque in ambulando ſæpenumero circumvertant. Item ne proſpiciant ab altiori loco; in ſumma à cunctis, quæ vertiginem, Epilepſiæ prodromum, ipſis parere valent. Item à ſtudiis intentioribus & cæteris omnibus, quæ ſpiritus diſſipant, & humores acres reddunt. Vitentur vigiliæ, lucubrationes. Somnus ſit moderatus & nocturnus. Alvus ſit laxa; ſi non ſit talis ſponte, arte ad munus ſuum excitetur, ſed fiat id lenioribus catharticis. Diarrhææ, ſi adfuerit, in tempore proſpiciendum eſt. Veneris uſus, quamvis nonnulli eum deteſtati ſint, & ipſam venerem breviorem Epilepſiam dixerint, aſſuetis, præſertim ſi juvenes ac ſanguinei adhuc ſunt, non interdicendus eſt: ſit vero modicus, ſæpe enim paroxyſmus eo antevertitur. Vide Hipp. de morbo ſacro. Urina non retineatur, ſed quoties urget, reddatur. Tandem animi

pathemata omni diligentiâ, quantum fieri poteſt, fugienda ſunt, imprimis timor, terror, ira, mœror &c. Si æger triſtis meticuloſusque fuerit, cogitationes ejus aliorſum dirigendæ ſunt, omniſque cura adhibenda eſt, ut hilaris reddatur.

HÆC HACTENUS.

COROLLARIA.

1. *Abſque aëris ingreſſu & egreſſu nulla datur fermentatio.*
2. *Venenum peſtilentiale non coagulandi, ſed diſſolvendi vi homines è medio tollit.*
3. *Fœtus in utero, meconio depoſito, reſpiravit, igitur ſtatim extrahendus eſt.*
4. *Peculiaria in quibuscunque viſceribus fermenta dari nego.*
5. *Inteſtinum maſſæ ſanguineæ motum, à particulis ætbereis deduco.*
6. *Plures ſpiritus requiruntur ad motum, quam ad ſenſum; ergo, abolito ſenſu, motus ſupereſſe non poteſt.*
7. *Icterus non ſemper oritur à ductus Choledochi obſtructione.*
8. *In omni hydrope eſt ſolutio continui vaſorum lymphaticorum.*
9. *Non ſemper ſanguinis detractio gravidis nocet.*
10. *Patiens bonam diætam non obſervans ſanari nequit.*
11. *Non datur panacæa, nec quoque medicamentum antifebrile univerſale.*
12. *Eſſentia febris non conſiſtit in calore.*
13. *Sanguificatio nulli ſoli viſceri eſt adſcribenda.*
14. *Licet in dyſenteria alvus fluat, non tamen purgatio nocet.*
15. *Oſſa quoque habent poros, per quos humores continuo circulum abſolvunt.*
16. *Ductu thoracico obſtructo, vel rupto, homo ut moriatur, neceſſe eſt.*
17. *Acidum non eſt purgandum, niſi prius ſit correctum.*
18. *Mutationes omnes in ſyſthemate animali, ab actione fluidi in ſolidum, vel ſolidi in fluidum, dependent.*

FINIS.